

POSITIONES THEOLOGICÆ

SCHOLASTICO - DOGMATICO - MORALES.

Theol.
2549
60

DE
VITIIS & PECCATIS

EX PRIMA SECUNDÆ, SUMMÆ

Univ.-Bibl.
München



DIVI THOMÆ

AQUINATIS,

ANGELICI & QUINTI ECCLESIAE DOCTORIS

à Questione 71. usque ad Questionem 90. exclusivè,

Juxta miram Ejusdem Magistri Angelici Mentem

Disputationi publicæ expositæ

In Ecclesiâ & Studio formali Bambergensi FF. Prædicatorum

P R E S I D E

P. F. DOMINICO REICHARD,

Ejusdem Ordinis & Studii Ss. Theologiæ Lectore
secundario,

D E F E N D E N T I B U S

P. AUGUSTINO KREMER , Studente Formali ,

P. HYACINTHO FLECK ,

F. WOLFGANGO GÜSSREGEN , & F. WILHELMO ZETTI ,
Ejusdem voti ac Studii Alumnis.

Die 12. Auguſti, Anno 1755.

Horis manè & à prandio consuetis.

C U M P E R M I S S U S U P E R I O R U M .

TYPIS VIDUÆ GEORGII ANDREÆ GERTNER, PRINCIPALIS AULÆ, &
REVEREND. CAPITULI TYPOGRAPHII.

EX QUÆSTIONE 71. D. THOMÆ.

DE VITIS & PECCATIS SECUNDUM SE.

1. **V**itia virtutibus contrariari, certum est ; dicitur enim Ecclesiastici 33.
*Contrà malum bonum est, & contrà mortem vita : Sic & contrà virum
iustum peccator.* Cùm autem inter vitia alia opponantur virtutibus acquisitis, alia infusis, prioribus contrarietatem directam concedimus; posterioribus hanc negamus.

2. Quia de fide certum est, naturam hominis bonam esse, & à Deo esse, hinc homini malitia naturalis esse non potest : imò omnia vitia esse contrà naturam hominis, ut rationalis est, quin & secundùm suum formale contra naturam ipsius sensitivam, propugnamus.

3. Repugnare peccata puræ omissionis, manifestè docet D. Thomas in Art. 5. hujus quæstionis ; ait enim in ◎ : *Si verò in peccato omissionis intelligantur etiam causæ vel occasiones omittendi, sic necesse est, in peccato omissionis aliquem actum esse.*

4. Pariter omissionem actûs præcepti voluntariam faltem in causâ, esse in se formaliter peccatum, & non tantum effectum peccati, ex eodem Angelico deducimus.

5. Peccata commissionis constitui formaliter per positivum, probabilius nobis videtur Doctoris sancti mens & sententia.

EX QUÆSTIONE 72.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

1. Peccata distingui specie secundùm formaliter diversa objecta, vix non per totam hanc quæstionem docet Præceptor sanctus.

2. Hinc per solam diversitatem præceptorum ex parte principii diversificari peccata idem Magister Angelicus negat in A. 6. hujus quæstionis.

3. Sicut in eodem Art. asserit, peccata commissionis & omissionis procedentia ex eodem motivo pertinere ad eandem speciem in esse purè morali.

4. Numericam autem distinctionem secundùm objecta numericè diversa, nullam inter se moralem unitatem, connexionem aut subordinationem habentia desumi, defendimus.

EX QUÆSTIONE 73.

DE COMPARATIONE PECCATORUM AD INVICEM.

1. De fide Catholicâ ut certum tenendum est contrà Jovinianum, Pelagium & Stoicos, non omnia peccata esse paria.

2. Ratio autem, quâ in præsenti contrà Stoicos utitur D. Thomas ad probandam inæqualitatem peccatorum, efficax & optima est.

3. Gravitatem peccatorum variari secundum objecta; & secundum hoc, quod directe opponantur praestantiori Virtuti, afferit in Art. 3. & 4. hujus quæst. Doctor Sanctus.

EX QUÆSTIONE 74. DE SUBJECTO PECCATORUM.

1. Certum est peccatum esse in voluntate, sicut in subjecto.
2. Ast non solam voluntatem pro subjecto peccati statuimus, cum plura peccata etiam quantum ad malitiam formalem subjectentur intrinsecè in aliis quoque potentiis à voluntate motis, ut in irascibili, concupisibili, intellectu &c.
3. In membris tamen corporis, manu, lingua &c. aut in sensibus externis subjectari intrinsecè & formaliter peccatum, neutquam concedimus.
4. Appetitus sensitivus, prout in homine conjunctus est parti rationali, etiam sine actuali voluntatis influxu potest esse subjectum culpæ venialis: non tamen mortalis.
5. Ex quâ præclarâ Doctoris sancti Doctrinâ pro praxi deducimus, non omnes motus appetitus sensitivi esse peccata adhuc venialia; sed aliquos manere extrâ genus moris sine aliquâ malitiâ formalî.
6. Hinc rejicimus errorem hæreticorum afferentium, concupiscentiam, quæ in nobis est, & omnes ejus motus circâ illicita, quantumvis necessariò insurgant, imò quantumcunque voluntas eis resistat, esse formaliter peccata adhuc in Baptizatis.
7. Concludimus ulterius, quod secluso periculo tam consensu, quam alterius nocimenti gravis non teneatur voluntas sub mortali ad positivè resistendum motibus sensitivi appetitus, quantumvis ex objecto pravis & inordinatis; & ideo dum non consentit, si non resistat, sed negativè vel permissivè se habeat, non peccat mortaliter.
8. Quoties autem imminet periculum consensu ex permanentiâ illiciti motu, tenetur voluntas sub mortali efficaciter ei resistere. Quare qui præviso eo periculo immoratur, & non facit, quod in se est, ut appetitum comprimat, licet formaliter non consentiat, peccat mortaliter, & censetur consentire interpretative.
9. Quod concernit causas ad motus aut alios effectus illicitos concurrentes, pro praxi tradimus, quod, quoties causa aliqualiter est determinata ad motum vel effectum illicitum, ut vel nullum alium effectum habeat, vel non nisi mediante illo effectu illicito in alium influat; neque causa, neque

prædictus effectus vel motus possint ob quemcunque finem excusari à peccato mortali vel veniali juxta gravitatem materiæ.

10. Deinde quoties causa influens per se etiam notabiliter in aliquem effectum malum æquè immediate vel per prius habet aliquem effectum bonum, isque sufficienter necessarius censetur juxta materiæ gravitatem & qualitatem, potest talis causa licet applicari ad hunc effectum posteriorem, etiamsi pravus ille succedat, dummodò licet prævisus, non tamen sit intentus, neque expressè volitus, neque medium per se ad finem intentum.

11. Seclusa autem necessitate tenebitur voluntas à prædictâ causâ abstinerre: eritque obligatio hæc sub mortali, si materia gravis sit, secùs sub veniali.

12. Quænam autem sint causæ per se graves & leves, plurima occur-
runt in moralibus dubia; circà quæ si requisiti fuerimus, theorice & pra-
cticè respondebimus.

13. In Art. 8. hujus quæst. resolvit præceptor Sanctus, quod, quandò delectatio, quæ consequitur ad cogitationem rei illicitæ, non habet pro objecto ipsam rem illicitam, sed solam cogitationem, consensus in eam non sit peccatum mortale, sed vel solum veniale, vel actus bonus. Quandò vero delectatio habet pro objecto rem illicitam cogitatam, consensus in eam semper sit peccatum mortale vel veniale juxta gravitatem objecti.

14. Plures casus circà delectationem morosam difficultati obnoxii occur-
runt, circà quos quid resolvendum, tentati resolvemus.

EX QUÆSTIONE 75.

DE CAUSIS PECCATORUM IN GENERALI.

1. Peccatum habere causam tūm interiorem, tūm exteriorem in hâc quæstione docet D. Thomas.

2. Potentiam peccandi, ut stat formaliter sub hoc conceptu, non consti-
tui per solam carentiam seu defectum perfectionis, sed per positivam for-
malitatem correspondentem malitiæ positivæ peccati, defendimus.

3. Prædictum autem positivum nequaquam à DEO causatur; ac proin-
datur in voluntate creatâ aliqua formalitas, quam secundùm aliquam sui
expressionem positivam DEUS non causat.

EX QUÆSTIONE 76. 77. & 78.

DE CAUSIS PECCATI IN SPECIALI, & QUIDEM INTERIORIBUS.

In his quæstionibus Magister Angelicus tractat de causis interioribus pec-
cati; & quidem primò de ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis,

Secun-

Secundò de infirmitate seu passione, quæ est causa peccati ex parte appetitū sensitivi. 3tiò de malitiā, quæ est causa peccati ex parte voluntatis. Quæ quia præcipue praxin concernunt, hinc practicè, imò & theoricè requisiti mentem S. D. explicabimus.

EX QUÆSTIONE 79.

DE CAUSIS EXTERIORIBUS PECCATI, & QUIDEM EX PARTE DEI.

1. Dogma fidei est contrà Simonem Magum, Manichæos aliósque hæreticos, DEUM nullo modo esse causam peccati.

2. Hinc damnamus ut blasphemam & hæreticam sententiam Lutheri & Calvini docentium, DEUM ab æterno prædestinâsse peccatum Adæ aut peccata aliorum hominum.

3. Pariter Calvinisticum est, hæreticum est, dicere, DEUM impellere diabolum, ut nos inducat ad peccandum; aut DEUM occultâ vi nos moveare & necessitare ad peccandum; aut nobiscum operari peccatum.

4. Hæc omnia hæretica sunt: Catholica tamen sententia est, ac verissima & certissima mens S. Thomæ, DEUM esse causam actus peccati, nos determinare ad actum peccati, nobiscum operari actum peccati. Et cur non? actus enim iste bonus est; ens est; hinc ab ente primo inevitabiliter est.

5. Et quamvis DEUS juxta S. D. sit causa excæcationis & indurationis, non propterea author peccati est; quia non indurat DEUS impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Nam *cujus vult, miseretur, & quem vult indurat*, ait Apostolus ad Rom. 9.

EX QUÆSTIONE 80.

DE CAUSA PECCATI EX PARTE DIABOLI.

1. Multi accusant diabolum, quod homini sit directè causa peccandi; quod homini inferat necessitatem ad peccandum: Ast miser est diabolus; tentare potest, persuadere potest peccatum, objectum appetibile proponere potest; sufficiens causa peccati esse nequit, nisi voluntatis consensus accederit. Ad quid enim diceretur 1mæ Petri ultimo: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui resistite fortis in fide!*

2. Hinc non sunt audiendi Valentinus, Manichæus, Armeni & alii, nullum in mundo futurum esse peccatum, si dæmones defuissent, qui tentatione suâ homines ad peccandum impellerent; sique nullum peccatum tribendum esse nostro libero arbitrio, sed potius dæmoni, cuius suggestione fit.

3. Rejiciendus etiam est error Joviniani teste S. Hieronymo L. 2. contrà illum,

illum, docentis, diabolum nunquam tentare illos, qui verè sunt baptizati in aquâ & Spiritu Sancto, sed duntaxat infideles & peccatores.

EX QUÆSTIONE 81.

DE CAUSA PECCATI EX PARTE HOMINIS.

1. Dari peccatum originale à primo Parente in posteros per originem traductum, contra Pelagium, Albigenses, Anabaptistas, docuit constantiter scriptura, tradidere PP. definivit Ecclesia.

2. Sine dubio illud nobis omnibus voluntarium est per se & intrinsecè, non formaliter per modum exercitii, sed terminativè per modum effectus; non quidem physicè ex ordine ad propriam uniuscujusque voluntatem, sed moraliter ex ordine ad voluntatem Adami, quatenus fuit voluntas capitinis continentis ex DEI institutione voluntates nostras.

3. Peccatum hoc secundùm rationem culpæ habet causam efficientem physicam saltem eo modo, quo privationes illam habent: estque hujusmodi causa principalis & præcipua primum Adami peccatum, in quantum fuit peccatum capitinis totius naturæ.

4. Incidenter hic defendimus, Præadamitarum Systema verbo DEI plannè contrarium esse, nec ullo probabili niti argumento.

5. Damnamus pariter errorem Origenis de animarum creatione antè corpora, & de illarum in corporibus, quasi in ergastulis reclusione, quem Scriptura S. coarguit, PP. refellunt, Ecclesia damnat.

EX QUÆSTIONE 82.

DE ORIGINALI PECCATO QUANTUM AD SUAM ESSENTIAM.

1. Absurdissimus est error Flacci Illyrici peccatum originale ab ipsâ substantiâ animæ non distinguentis, sed afferentis, esse quandam imaginem diaboli ab animâ rationali indistinctam, in quam ipsa anima per peccatum Adami ex imagine DEI transformata fuit.

2. Contrà Lutheranos & Calvinistas firmiter tenendum ut dogma fidei, naturæ corruptionem sive concupiscentiam, qualis remanet post baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solum quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum sit ex se vel ex naturâ suâ peccatum.

3. Sustinenda hic etiam non est sententia Gregorii Ariminensis, peccatum originis nihil aliud esse, nisi morbidam in animâ qualitatem prava desideria perpetuò excitantem.

4. Nec toleranda doctrina Alberti Pighii & Ambrosii Catharini docentium,

um, peccatum originis in primo homine reipsa fuisse, in cæteris per imputationem; nihilque esse in paryulis reipsa inhærens, quod habeat veram peccati rationem.

5. Est igitur cum D. Thomâ in Art. 3. hujus quæst. dicendum, formale in peccato originis esse privationem justitiæ originalis, quæ voluntatem subjiciebat DEO.

6. Si ergo peccatum pro actione cum lege pugnante accipiatur, peccatum originale est prima Adami inobedientia ab ipso Adamo commissa, non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis humani gerebat. Si verò peccatum accipiatur pro eo, quod residet in homine post actionem, & unde idem homo non peccans, sed peccator nominatur, peccatum originale est carentia doni justitiæ originalis, sive habitualis aversio voluntatis, quæ & macula mentem DEO invisam reddens appellari potest.

EX QUÆSTIONE 83.

DE SUBJECTO ORIGINALIS PECCATI.

1. Subjectum peccati originalis est anima, non autem caro.
2. Adversus Manichæos, Lutheranos, Calvinistas & Jansenium firmiter afferendum est, primo hominis peccato non periisse libertatem ad agendum bonum, aut abstinentiæ à peccato, aut loco illius libertatis induxit esse fatalem peccandi necessitatem, & indifferentiam ad bonum & malum penitus amisam.

EX QUÆSTIONE 84.

DE CAUSA PECCATI, SECUNDUM QUOD UNUM PECCATUM ALTERIUS PECCATI CAUSA EST.

Quod & quomodo unum peccatum sit causa alterius, optimè explicat Doctor Angelicus in hâc quæstione: Si circâ ejus mentem requisiti fuerimus, illam pro possibili explicabimus.

EX QUÆSTIONE 85.

DE EFFECTIBUS PECCATI.

Varia circâ effectus peccati resolvit hic Magister Sanctus: quidquid autem ipse docuit, docemus & nos.

EX QUÆSTIONE 86.

DE MACULA PECCATI.

1. Peccatum causat maculam in animâ; incurrit namque homo per illud carentiam nitoris, qui erat ex refulgentiâ gratiæ.

2. Transacto etiam actu peccati permanet in homine ejus macula, quamdiu ad lumen gratiae non fuerit restitutus.

EX QUÆSTIONE 87. DE REATU POENÆ.

1. Animas illorum qui in mortali decedunt, statim (saltem juxta communem legem) ad infernum descendere, ut illic poenas luant, & justo suppicio puniantur, Catholica fides docet.

2. Æternam pariter fore dæmonum & hominum impiorum damnationem, Scriptura S. disertè afferit, cæterique Patres contrà Origenem propugnant.

3. Parvuli sine baptismo decedentes mortis æternæ poenâ damnantur, nec relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes, ut clarissimè ex Evangelio explicat Doctorum Aquila Augustinus Serm. 14. de verbis Apost. c. 3.

4. Nec tamen puniendi erunt poenâ sensûs; sed duntaxat poenâ damni.

EX QUÆSTIONE 88. DE PECCATO VENIALI & MORTALI.

1. Dogmà fidei est, rectè distingui peccata mortalia à venialibus, nec omnia peccata mortalia esse, sed aliqua ex naturâ suâ venialia.

2. Dicere autem, peccata venialia esse solum omnia peccata prædestinatarum; mortalia verò peccata omnia reproborum, error fuit Wicleffi & Calvini, quem Catholici omnes damnant & execrantur.

3. Detestantur similiter errorem Lutheri sibi persuadentis, omnia peccata condonari vel non imputari credentibus, non credentibus autem nullum condonari, ac proin quævis peccata naturâ suâ mortalia esse, solâ verò DEI misericordiâ venialia.

EX QUÆSTIONE 89. DE PECCATO VENIALI.

1. Peccatum veniale non potest conjungi cum solo originali; sed quilibet, qui venialiter peccat, vel jam exuit originalem culpam, vel aliam mortalem commisit.

2. Omnis homo ad usum rationis perveniens tenetur statim, prout est capax in illâ ætate, sub culpâ mortali convertere se in DEUM, diligendo illum efficaciter super omnia, qui est Laudabilis, gloriosus & superexaltatus in sæcula.

O. A. M. D. G.